



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 160. Quid in genere dicendum sit de permutatione Beneficiorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42600**

Ex haftenus dictis de resignatione sequitur, ut resignatio beneficii coram Ordinario facta ejusque collatio & obtentio sit valida, requiri, 1. ut resignans non sit ordinatus titulo beneficii resignandi, vel aliunde habeat, unde vivat. 2. Ut non fiat in favorem nec sub conditione. 3. Ut fiat ex causa. 4. Ut acceptetur ab habente potestatem. 5. Ut providendus sit capax; nec sit consanguineus, affinis vel familiaris resignantis aut conferentis. 6. Ut resignatio publicetur.

Q. 160. Quid in genere dicendum sit de permutatione beneficiorum; & an haec per eam vacent. R. 1081

§. I. Permutatio generaliter sumpta convenit omni contractui, quia semper datur vel permittitur vel fit unum pro alio: sumpta specificè, est contractus, in quo res, prout à pretio contradistinguitur, commutatur cum alia re. Vide *Pirb.* l. 3. r. 19. à n. 1. Permutatio, de qua hic agimus, est reciproca beneficiorum resignatio facta adinvicem inter permutantes. Vide *Leur.* p. 3. q. 815. Nomine autem resignationis ordinariè non venit permutatio, uti diximus n. 953., docentque *Gonz.* *Chok.* *Leur.* q. 817. contra *Sarn.* & *Paris.* Et permutationem esse rem favorabilem dicunt *Mandos.* *Paris.* *Gonz.* *Leur.* q. 818., quamvis q. 855. fateatur eam esse veluti odiosam, quia prohibetur *Cap. Quastum*, de rer. permut., & *Cap. Majoribus*, de præb.

§. II. Quamvis secundum dicta n. 957. multi teneant per resignationem conditionalem non vacare beneficium ante impletam conditionem, tamen in permutatione debere prius vacare, tenent *Paris.* *Castrop.* *Lott.* apud *Leur.* q. 819.: Et licet *Inn.* *Archid.* *Senis*, *Gonz.* dicant admissionem utriusque resignationis esse tacitam collationem, nec requiri aliam expressam, tamen contradicunt *Garc.* *Less.* *Castrop.* 1082

*strop. Leur. q. 816.*, quia hîc datur nova collatio, ergo cùm beneficium non vacans conferri non possit, præcedit vacatio: quod *Conf.*, nam collatio sequi potest post permutationem, fit enim aliquando, ut si duo permurent, Papa uni Romæ præsentî conferat beneficium & committat Ordinario in partibus, ut etiam diu post conferat alteri: Similiter potest Titius coram Episcopo suo permutationis causâ dimittere beneficium unum, & prius post aliquot menses recipere beneficium, quod Cajus in alia diocesi coram suo Episcopo in ejus favorem dimitteret, *Rebuff. Senis, Az. Leur. q. 864.*

1083 §. III. Si verum est, quod permutatione vacent beneficia, videtur consequenter dicendum, quod turnus consumatur per collationem factam ex vi permutationis, uti per factam ex quacunque alia vacatione, nisi aliud habeat statutum, pactum vel consuetudo, *Gonz. Chok. Leur. q. 876.*

1084 Q. 161. Qualia beneficia, & à quibus permutari possint. R.

§. I. Permutari non potest beneficium cum non beneficio; unde permutari non potest cum jure-patronatûs, decimis, capella, hospitali, præstimonio; intellige, si hæc non sint erecta in titulum: Nec cum Commenda beneficii, quia deserviens non habet titulum; nec cum titulo patrimonii, quia non est quid perpetuum, AA. communiter cum *Leur. p. 3. q. 821.* Nec verum beneficium permutari potest cum ficto, quod vocatur, *de pertica*, uti nec cum beneficio simoniacè obtento. Vide *Leur. q. 822. 823.* Putarunt tamen viri docti, quos interrogavi, Titium ordinatum super quibusdam Missis legendis, juncto his patrimonio, posse hunc suæ ordinationis titulum etiam apud Ordinarium permutare cum beneficio Caji, si titulus ille Titii auctoritate Ordinarii